# DECISIO CAUSAE CIRCA CORPUS S. AUGUSTINI TICINI SEU PAPIAE IN INSUBRIA ANNO...

Diocesi di Pavia : Tribunale Ecclesiastico



sacrum pignus oculis quidem hominum eripiunt, at neutiquam memoriæ & piæ Fidelium Venerationi illud subducunt; cùm in eadem crypta ad Aram Ejusdem Sancti tanquam ad locum Sepulchri lampades perpetuò accensæ ardeant, Canonici Regulares æquè ac Patres Eremitani singulis diebus eò descendant ad cantandam Antiphonam in honorem Sanctissimi Legislatoris sui, ac denique Incolæ constanter illuc veniant, peregrini quoque illuc deducantur ad venerationem Exuviis tanti Ecclesiæ Doctoris exhibendam. Accidit denique DEO sic disponente, ut Anno 1695. die prima Octobris, lateritij illius ædificij, Aram inter & puteum, à Papiensibus ad abscondendum S. Corpus extructi parte quadam fortuitò retecta, Nomen AUGUSTINI seu AGOSTINO nonnisi carbone & Gothico caractere scriptum appareret.

Unde re ad Episcopum mox delata, & authoritate publica in examen vocatâ, ex omnibus circumstantijs loci, tumbæ Marmoreæ, Thecæ Argenteæ, item ex defectu Brachii sinistri, aliísque indiciis, ac gravissimis antiquorum Scriptorum monumentis satis manifestè apparuit, non aliud nisi Corpus S. AUGUSTINI ibidem contineri. Quare Patres Augustiniani fervidè instabant, ut Illustrissimus, Reverendissimus D. D. Laurentius Archi-Episcopus Trottus, Episcopus Papiæ, adhibitis in consilium Theologis & aliis pijs & doctis viris eadem sacra Lipsana pro Corpore S. Patris AUGUSTINI recognosceret & declararet. Verùm cùm nonnullæ levioris momenti rationes, aut veriùs cavillationes in contrarium stare viderentur, ac ea Italiæ pars maximis bellorum motibus, succedentibus annis aliquamdiu infestaretur, causa hæc usque ad hunc annum 1728. protracta fuit, donec Reverendissimus Pater Mag. Fulgentius Bellelli totius Ordinis Fr. Fr. Erem. S. Augustini Prior Generalis & Commissarius Apostolicus, à summo Pontifice litteras Apostolicas obtinuit, quibus Idem Sanctissimus, hodiéque felicissimè regnans Pontifex exortam controversiam de Corpore S. AUGUSTINI Judicio Episcopi Papiensis dirimi jubet in hunc modum:

## *Venerabili Fratri Episcopo Papiensi*
## BENEDICTUS Papa XIII.
### Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



*Nimi curas, & auctoritatis officium libenter impendimus ad eas causas, quas ad Sanctorum cultum pertinere dignoscimus, atque adeo cum divino honore esse conjunctas. Multò autem alacriùs has Apostolicæ sollicitudinis partes suscipere debemus, ubi eas ad Beatum AUGUSTINUM, clarissimum Ecclesiæ Lumen, Eximiúmque Doctorem, spectare intelligimus; quem ni-*

*nimirum in profitenda Prædicatorum Regula parentem, in Theologico curriculo Ducem, in Pastorali Ministerio, cunctísque vitæ rationibus patronum semper coluimus. His igitur, tam impositi muneris stimulis, quàm obstrictæ pietatis studio adducti, operam conferre decrevimus, ut judicium de invento istic sancti Doctoris CORPORE, ulteriori dilatione sublata, secundùm Deum, & veritatem ad exitum perducatur. Itaque Fraternitati tuæ sedulò injungimus, ut cæteris quæstionibus de alio corpore inveniendo, remotis, judicium instituas de solo antedicto Corpore, quod Anno MDCXCV. istic in Ecclesia S. Petri in Cœlo aureo in Confessione, inventum esse tradunt documenta, quæ in acta curiæ istius Episcopalis relata sunt. Volumus proindè, & mandamus, ut cavillationibus eorum, qui decisionem, ac definitionem hujusce causæ impedire tentaverint, etiam per censuras Ecclesiasticas occurras. Illis autem, à quibus causa cognoscenda erit, iisdem adhibitis, si opus fuerit, remediis, edicas, ut nullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequantur, sed solùm Deum veritatis præ oculis habeant. Ne autem novis procrastinationibus locus esse possit, bimestre tempus huic judicio conficiendo præfigimus. Quod si intra duos menses à die, qua Fraternitati tuæ traditæ fuerint hæ nostræ in forma Brevis literæ, causa absoluta non sit, eandem ad Nos exinde devolutam fore declaramus. De tua igitur in hanc sanctam sedem, Nósque ipsos perspecta obedientia præclarè sentientes, veritate, quam unicè quærendam, declarandámque præcipimus, ad liquidum perducta, finem controversiæ impositum iri non dubitamus: ac tibi, venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXIII. Januarij Anno MDCCXXVIII.*

C. *Archi-Episcopus Emissenus.*


Hisce litteris obtentis præfatus Reverendissimus P. M. Generalis, dum nonnullis in Italia Ordinis sui, visitationis causâ peragratis Provincijs, Papiam advênit, prædictum Breve Apostolicum Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo die 19. Maij juridicè fuit exhibitum, qui mox tum Canonicis Lateranensibus, tum Patribus Eremitis Augustinianis edixit, ut monumenta sua intra dies quindecim producerent. Quod cùm factum fuisset, idem Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus constituit septendecim Consultores, partim ex Ecclesiasticis sæcularibus, & partim ex Regularibus quorum Consilio & judicio, ac ferventi operâ præfati Reverendissimi Patris Mag. Generalis, argumenta recenter in contrarium allata impressis folijs solidissimè elidentis, causa denique fuit finita, ac sententia pro Identitate Corporis S. AUGUSTINI prolata eo, quo sequitur modo.

1728. Die Veneris 16. Mensis Julij in Tertijs.

# IN CHRISTI NOMINE AMEN.

## *Nos DON FRANCISCUS PERTUSATI,*

*Ord. S. Benedicti Congreg. Olivetanæ, DEI, & Apostol. Sedis gratia S. Ticinens. Eccl. Episc. & Comes &c. SS. D. N. Papæ Prælatus Domest. Pontificio Solio Assistens, eidémque Apostolicæ Sedi immediatè subjectus.*



IN Causa Identitatis Corporis SANCTI AUGUSTINI Clarissimi Ecclesiæ Luminis, Eximiique Doctoris, priùs per Nos visis Litteris SS. D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. expeditis 23. Januarii, Nobísque præsentatis per Patres Magistros Joseph. de Gregoriis à S. Elpidio, & Aloysium de Bellagente a Papia Eremitanos, tanquàm Procuratores speciales in Causa prædicta deputatos etiam de mandato Reverendissimi Patris Magistri Fulgentii Bellelli Generalis totius Ordinis S. Augustini, degentis in Conventu ipsius Sancti in hac Civitate, sub die 19. Maii anni currentis debitâ cum reverentiâ receptis, in quibus Obedientiam nostram excitando, Nobis injungere dignatus fuit, ut ulteriori Causæ dilatione sublatâ, cæteris quæstionibus de alio Corpore inveniendo remotis, Judicium instituerem us de Solo Corpore in Confessione S. Petri in Cœlo Aureo de anno 1695. invento, huic Judicio conficiendo bimestri tempore præfixo.

Visa pariter Monitoriali Citatione nostri ordine, ac ad instantiam P. Advocati Fiscalis Curiæ Episcopalis nostræ illicò transmissa sub die 22. ejusdem Maii tùm Canonicis Reg. Lateranen. in Monasterio S. Petri in Cœlo Aureo prædicto degentibus, tùm antedictis PP. Eremitanis, tanquam qui unitìm de anno 1695. in hac Curia comparuerant, & pro declaratione Identitatis ipsius Sacri Corporis institerant; Communicatâ in ipsa monitoriali citatione substantiâ dictarum litterarum Apostolicarum, statutóq; termino dierum quindecim tùnc proximè futurorum ad deducendum in Actis, si quid &c., comminatis paritèr pœnis contrà eos, qui cavillationibus decisionem, ac definitionem hujusce Causæ impedire tentâssent, in ipsis Apostolicis litteris indictis.

Visa itidem per Nos comparitione Reverendiss. P. Abbatis, & Canonicorum Lateranen. in termino monitorialis prædictæ sub die 22. Maii, & in Actis præsentata die 7. mensis Junii, in qua Judicio secundùm Deum, & Veritatem per Nos ferendo plenè se remiserunt, ac paratos dixerunt, libentissimo animo venerari Ossa ut suprà reperta anno 1695. pro Reliquiis eorum Amantissimi Patris, ubi pro talibus per Nos declarentur: Necnon alia comparitione PP. Eremitarum in Actis dimissa sub dicta die 22. Maii, in qua, aliis Juribus pro Identitate productis, pro Justitia institerunt.

Viso quoque Processu in dicta Causa de mense Octobris 1695. cœpto & usque ad mensem Martii 1699. prosecuto, unà cum Visitationibus

nibus, ac recognitionibus ipsius Sacri Corporis annis 1695., 1696., 1698. secutis, nec non Juribus, documentis, Testium depositionibus, aliisque monumentis, & scripturis tunc temporis, & successivis annis exaratis.

Habitis itidem coràm Nobis pluribus Congregationibus Theologorum, & Canonistarum ex piis, & doctis Viris per Nos electorum, & ad præscripta Sac. Trid. Conc. in Consilium adhibitorum, in quarum prima comminatis pœnis in litteris Apostolicis indictis, ijsdem piis Viris ad earundem tenorem ediximus, ut nullis Officiis, commendationibus, aut Partium studiis obsequerentur; sed solum Deum Veritatis præ oculis haberent: In aliis Congregationibus attentè examinata, & discussa omnia & singula Causæ puncta percepimus, distributisque ijsdem Consultoribus Summariis Jurium, documentis, Testium depositionibus, aliisque communicandis eorum Vota maturè consideravimus.

Postquàm pariter die 25. Junii Personalem Assistentiam nostram præbuimus unà cum Consultoribus antedictis, præsentibus etiam Canonicis Lateranen., & PP. Eremitanis, exactæ Visitationi, ac recognitioni ipsius Sacri Corporis de anno 1695. inventi, ad hoc etiam adhibitis tribus juratis Anatomistis ex peritioribus hujus Civitatis, ibidémque omnia consideranda sollicitè consideravimus, ac successivè die sequen. 26. ejusdem mensis per Nos ipsos, & præsentibus dictis Canonicis Regul. Lateranens., ac PP. Eremitanis, eandem Visitationem perfecimus, Sacrásq; Exuvias Sigillo nostro munivimus; devotè Processioni interfuimus, & alias publicas, & continuatas preces ad Divinam opem impetrandam pro recto Judicio secundùm Deum, & Veritatem ferendo indiximus.

Visa similiter per Nos monitione, ac indicatione hujus diei, & horæ ad instantiam Pro Advocati Fiscalis nostri pro definitiva Sententia proferendâ, Canonicis Lateranensibus, & PP. Eremitanis sub die 13. currentis Julii transmissa; Visísque omnibus videndis, & consideratis considerandis.

Congregatis iterùm coràm Nobis Consultoribus adhibitis utsuprà, ac etiam ad præsentiam prædicti Reverendissimi P. Magistri Generalis totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ac Reverendissimi P. Abbatis Canonicorum Regularium Lateranens. Don Ambrosii Perego, ac aliorum utriusque Ordinis Religiosorum, post Missam de Spiritu Sancto celebratam, iterùm instante Pro-Advocato Fiscali nostro, ipsísque Consultoribus præsentibus, Solum Deum veritatis præ oculis habendo, cum plena Causæ cognitione

## *Christi Nomine Repetito.*

PEr hanc nostrâ definitivâ Sententiâ dicimus, pronunciamus, & declaramus, satis constare Corpus inventum in Confessione Templi Sancti Petri in Cœlo aureo hujus

Civitatis die prima Octobris, anni 1695., & nupèr per nos recognitū, ac Sigillo nostro munitum, esse Corpus SANCTI AUGUSTINI ECCLESIÆ DOCTORIS; Ideóque pro tali esse colendum, & publicæ Fidelium Venerationi exponendum.

Signat. *Don Franciscus Episc. Papien.*

Millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Indictione sexta, die verò Veneris decima sexta mensis Julii, hora Tertiarum vel circa, in Episcopali Palatio Papiæ, & signanter in Camera superiori solitæ Audientiæ præfati Illustrissimi, & Reverendissimi D.D. Episcopi respiciente versus Viridarium ipsius Episcopalis Palatii situm in Porta Marica vulgò Marenga.

Lata, data, & in his scriptis Sententialitèr promulgata, & pronunciata fuit suprascripta Sententia ut suprà, & coram ut suprà per præfatum Illustrissimum, & Reverendissimum D.D. Don FRANCISCUM PERTUSATI Sanctæ Papiensis Ecclesiæ Episcopum, ibidem præsentem, & pro Tribunali sedentem &c.', & per eundem manualitèr proprio Caractere subsignata.

Lecta verò, & publicata fuit per me Presbyterum Melchiorem De Hò Notarium Apostolicum, & Curiæ Episcopalis Papiæ Cancellarium.

Præsentibus Nobili J. C. Collegiato D. Carolo Confallonerio Gerardo fil. quond. Nob. J.C. Coll. D. Antonii ex DD. Abbatibus, & Decurionibus hujus Inclitæ Civitatis habitat. Papiæ in Parochia Sancti Romani Majoris, Nob. J. C. C. D. Thoma Meda fil. J.C.C. D. Joannis pariter ex DD. Abbatibus, & Decurionibus ut supra, ac Nob. D. Bernardino Vistarino fil. quond. Nob. D. Caroli ex DD. Decurionibus ut supra, habitatoribus respectu dicti D. Medæ in parochia Sancti Theodori, ac respectu dicti D. Vistarini in Parochia Sancti Michaelis Majoris Papiæ, testibus notis, & idoneis ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis &c. necnon adstantibus plurimis aliis Nobilibus Viris, & Ecclesiasticis Personis &c.

Ità prout suprà reperitur, &

*Ego Presbyt. Melchior De Hò Not. Apostolicus, & Curiæ Episcopalis Papiæ Cancell. pro fide &c.*

Eam

EAm autem promulgationem continuò subsecuta est Missa pro Gratiarum actione musicis choris celebrata, & Canticum *Te Deum* quod ipse Illustrissimus ac Reverendissimus Præsul Pontificalibus vestibus indutus sub Throno præcinuit, ære campano universo sonante per urbem, & bellico tonante ad Mœnia civitatis.


Insinuavit mox Reverendissimus P. Generalis per Litteras gaudij plenas omnibus provinciarum ordinis sui præfectis, ac prioribus Conventuum Generalium felicem famosæ hujus controversiæ exitum, adhortando eos efficaciter ut amplissimas & immortales Deo nostro gratias agerent, qui munus hoc planè cæleste in diebus nostris largiri dignatus est, atque ut concepta animis gaudia in ea lætitiæ signa effunderent, quæ iis dignè exprimendis fuerint aptiora.

Non minùs admodùm Reverendus pater Mag. Procurator Generalis totius ordinis Augustiniani, ac Reverendissimi P. Generalis in ejusdem absentia, Romæ vices gerens, pro sua in sanctissimum suum Institutorem Augustinum veneratione & Zelo, summum pontificem supplex rogavit, ut omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesijs tam Fratrum quàm Monialium ejusdem sui ordinis, ubique terrarum devotè visitaverint, indulgentiam plenariam largiri dignaretur, eò dirigendo supplicationem suam, ut eadem die ab Ordinarijs locorum pro lucrandis dictis indulgentijs designanda, in omnibus Ecclesijs tam Virorum, quàm Mulierum ordinis Augustiniani supremo Numini gratiæ agerentur, ac cum fidelium animarum profectu cultus erga splendissimum Ecclesiæ Lumen S. Augustinum tantò magis propagaretur, ubique missam Solemnem & Hymnum TE DEUM cantando, aliísque lætitiæ significationibus pro uniuscujusvis Monasterij viribus eandem Solemnitatem decenter celebrando.

Annuit Clementissimus pontifex, ac subjunctum Breve Apostolicum expediri jussit.

# BENEDICTUS P. P. XIII.

## Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.



*D augendam Fidelium religionem, & Animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium Ordinis Eremitarum sancti Augustini ubicumque existentem Die per Ordinarios locorum respectivè designando à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ec-*

cle-

*clesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro unica vice quoad omnes, & singulas Ecclesias præfatas valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, útque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis vel Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Augusti MDCCXXVIII Pontificatus Nostri Anno quinto.*

Locus ✠ Sigilli.

F. Cardinalis Oliverius

*Gratis pro Deo & Scriptura.*

Locus ✠ Sigilli.

Frater Felix Leoni Procurator Generalis totius Ord. Erem. S. P. Augustini.



AD augendum porrò Augustinianæ familiæ gaudium Beatissimus Pontifex Benedictus XIII. Die festo Sancti Augustini, 28. Mensis Augusti, Romæ in Templo ejusdem S. Patris Augustini sacrum Pontificia Solemnitate peragere, & Hymnum TE DEUM in grati animi Testimonium pro decreta identitate reperti Corporis præcinere statuit, Eminentissimo purpuratorum cætu, cæterísque Romanæ Ecclesiæ prælatis, ac tota denique urbe spectantibus,

nium
inDo-
ingu-
tione,
l mi-
sint,
etiam
na in
dem
r ip-
apud
III

S

li.

*clesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro unica vice quoad omnes, & singulas Ecclesias præfatas valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, útque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis vel Sigillo Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Augusti MDCCXXVIII Pontificatus Nostri Anno quinto.*

Locus ✠ Sigilli.

F. Cardinalis Oliverius

*Gratis pro Deo & Scriptura.*

Locus ✠ Sigilli.

Frater Felix Leoni Procurator Generalis totius Ord. Erem. S. P. Augustini.



AD augendum porrò Augustinianæ familiæ gaudium Beatissimus Pontifex Benedictus XIII. Die festo Sancti Augustini, 28. Mensis Augusti, Romæ in Templo ejusdem S. Patris Augustini sacrum Pontificia Solemnitate peragere, & Hymnum TE DEUM in grati animi Testimonium pro decreta identitate reperti Corporis præcinere statuit, Eminentissimo purpuratorum cætu, cæterisque Romanæ Ecclesiæ prælatis, ac tota denique urbe spectantibus,